

A D
AVGVSTISSIMVM IMPERATOREM
RVDOLPHVM SECVNDVM

TYCHONIS BRAHE
PRÆFATIO.



ASTRONOMIA scientia antiquissima, Divinitus inde ab Adamo Proto-
plasto humano generi concessa, longèque præstantissima, in quantum nimi-
rùm Cœlestia & sublimia hæc terrena & inferiora superant: Hæc inquam Di-
vina Astronomia ab ipsis sensibus oculorum, multivagas siderum vicissitudi-
nes animadvertentibus, quantum ad exteriora originem trahens, multo tem-
pore indè à rerum conditu, excellentissimorum hominum fatigavit & genios & ingenia.
Tanta nimirum est Dei Optimi & ter maximi majestas, ut à nullis creaturis ipsius operum
sapientia exhauriri queat. Cum verò solus ocularis intuitus omnia illa suprà modum admi-
randi theatri Cœlestis mysteria, intricatasq; varietates apparentes, eâ, quâ opus erat subtilitate
& accuratatione capere nequiret, excogitârunt omnib. sæculis varij Artifices media & organa,
quibus visus in percipiendis Siderum abstrusis motibus juvaretur. Hinc sunt illæ columnæ,
quas Iosephus Iudaicarum rerum scriptor refert, Adæ Nepotes in Syria extruxisse, ijsq; sua
inventæ memoriæ causâ ad Posterios inscripsisse. Huc pertinent Ægyptiorum & aliarum
gentium altissimæ & sumptuosissimæ Pyramides; multæq; aliæ machinæ, à Regibus anti-
quissimis in hunc usum constructæ, quales in Indiâ, Syriâ, Arabiâ, Chaldæâ, Æthiopiâ, Ægy-
pto, præsertim isthic in porticu Alexandrino, tum quoq; alibi in circumjacentibus Regioni-
bus, ubi homines Siderali scientiæ sedulò intenti degebant, olim Spectabantur. Id enim o-
mnium primum est, ut in Astronomicis observationes plurimæ & diutinæ idoneis & erro-
ri non obnoxijis Organis Cælitus capiantur: quæ postea per Geometriam excogitatis con-
venientibus Hypothesibus in quantitates continuas & motum circularem ac uniformem
(quem Cœlestia Naturaliter, & absq; intermissione appetunt atq; exercent) digeruntur;
per Arithmeticam verò in discretas: ut ad quævis tempora constent Cœlestium corporum
circuitus & loca. Inter omnes verò qui hâc in re strenuè laborarunt, ad nos saltem per-
venerunt ea, quæ à Timochare, Hipparcho, Ptolemæo, Albategnio, Rege Alphonso, &
superiori ævo Copernico consignata sunt: quamvis duorum antecedentium in his traditi-
ones saltem ex aliquali Ptolemæi relatione constent: Quibus verò Organis hi in dime-
tiendis Siderum Phænomenis potissimum usi sint, ex scriptis eorum utcunq; liquet. In-
ter quæ hæc tria præcipua invenio: Regulas Parallaticas, Armillas Zodiacales atq; Torque-
tum, quod Arabibus (uti & Astrolabia plana) potius in usu erat: cætera minoris sunt mo-
menti. Multa tamen fortè alia fuere, quæ literis non prodita, ad nos haud pervene-
runt; quæ in tantâ tamq; crebrâ Mundanæ scenæ confusione & mutatione, tot bellis &
devastationibus subindè irrepentibus facilè (quod deplorandum est) interire poterant. Re-
centiores Quadrantem, Radium & Annulum Astronomicum addidere, tum quoq; quæ-
dam minoris adhuc æstimationis. Ex quo autem Siderum motus accuratè nostro æ-
vo considerati nequaquam ita se exhibeant, uti fert calculus ex ullorum sive veterum, sive
recentium Artificum Observationibus derivatus, non immeritò suspicionem movet, me-
dia &